



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Articulus II. Conditiones operis ad satisfaciendum pro defunctis idonei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

quia idem ipse reus dignus est odio Numinis, & pœnâ sempiternâ: quomodo ergo piis manibus illud placabit ad veniam pœnæ temporalis? Itaque merito Tridentinum id sancire videtur sess. 14. c. 8. dum sic ait; *Neque verò ita est nostra satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum, nam qui ex nobis, tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo, unde gloriatur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo merimur, in quo satisfacimus.* Ubi vides vim satisfaciendi nostram, seu pro nobis, seu pro aliis (indistincte enim loquitur) ex eo fluere, quod in Christo vivamus, ac mereamur: & satis nostri id ipsum per charitatem, gratiamque sanctificantem perfici. His addo cum Suarrio, Valquez, De Lugo, opera extra gratiæ statum patrata, adveniente gratiâ non reviviscere ad aliquem satisfactionis effectum, quemadmodum non reviviscunt ad meritum; propterea quod sicut ob personæ operantis indignitatem Deo minime placuere, ita nec ad satisfactionem, ob eandem indignitatem valere potuerunt.

827.
Non ad im-
petratio-
nem.

Nihilominus adverto, noxæ mortalis reum aliquod piis manibus subsidium impetrare posse, vel precibus, vel stipe pauperibus datâ, vel alio quovis opere pio. Etsi enim sacræ litteræ subinde negare videantur peccatores à Deo exaudiri, ut illud Pl. 65. *Si iniquitatem aspecti in corde meo, non exaudiet Dominus.* Item hoc Cæci nati Jo. 9. *Scimus, quia Deus peccatores non exaudit;* tamen ex Publicani oratione, ac impetratione contrarium aperte convincitur: & confirmatur ex Matth. 7. c. 1. ubi simpliciter, & sine ullâ exceptione dicitur: *Omnis qui petit, accipit, & qui querit, invenit, & pulsanti aperietur.* Ex quo colligis idèd aliàs dici peccatores non exaudiri, quia vel quod petunt, cum peccato conjunctum est, vel ad peccatum refertur, vel in petendo aliquod aliud vitium intervenit: vel certè quia etsi boni aliquid postulent, difficiliùs obtinent: ut statim dicitur.

828.
Peccator
veniam de-
functis po-
test obtine-
re.

Cùm igitur constet reum noxæ lethifera sibi aliquid posse divinitus impetrare, consequitur & defunctis opitulari posse. Etenim ipsam quoque pœnæ remissionem proximè impetrati diximus, quia dum Sacerdos reo peccata confesso imponit orationem pro defunctis, in pœnam, ac satisfactionem ipsius eam imponit: vult ergo ut sola impetratio defunctis proficit; ergo sola prodesse potest, de quo plenius postmodum. Itaque si quis in lethale præceptum cor-

ruerit, etsi etiam in eo infelicitè velit jacere, potest nihilominus, ac debet defunctis opitulari, precando, stipem largiendo, vel aliud quid in eorum gratiam præstando.

Verumtamen nosse illum oportet, ob infelicem illum statum decedere multum ipsius subsidio. Nam præcipua hujus pars ex dignâ satisfactione provenit. Hinc enim ex Justitiæ lege tenetur Judex pœnam defunctis dimittere: at quod impetrationi redditur, ex misericordiâ redditur, atque adèd faciliùs potest negari, homini præsertim inimico & invito. Deinde impetrationi nec certum tempus assignatum est, nec certus orationum numerus, nec certa bonorum operum copia: at satisfactio certum semper effectum sortitur: adèd ut exiguæ satisfactioni, exigua, copiosa ac nobili, major gratia, seu venia commensata sit, & ex justitiæ lege reddenda. Quare qui aliquo in pios manes pietatis sensu afficeris, qui Matris, Patris, aut amici intimi calamitate tangeris; vel ex hoc capite stude animum mortiferâ maculâ expurgare, quod ad illos purgandos parum aptus sit, qui impurus ipse, & mortali culpa sit inquinatus. Si confessione Sacramentali eos à suspendio liberare posses, an cunctaberis? Et adhuc volens in sordibus hæres?

829.
Sed multò
plenius ac
certius si
lethale
exuat.

ARTICULUS II.

Conditiones operis ad satisfaciendum pro defunctis idonei.

PRIMA, & velut princeps earum est, ut opus sit honestum, seu bonum. Nec enim dignum est Deum placare, quod vel ei ingratum, ut malum, vel certè nequam gratum est, ut illud, quod vocat indifferentens. Quare saltem à fine aliquo extrinseco honestatem mutuetur, necesse est: ut si ambules, comedas, dormias, ad gloriam Numinis aucupandam, obsequiumve promptius ei postea exhibendum. Illud observarim, non videri sufficere operi aliàs indifferenti, ac neutro, si fieri dicatur ad solatium piorum manium: non inquam, si ita statuas tecum ipse; nunc bibam ad levamen defunctorum, nullo alio fine bono, potui tuo proposito, existimandum est potum tuum defunctis profuturum. Quippe quia opus prius debet intelligi bonum, quàm satisfactorium, prius item satisfactorium, quàm defunctis queat applicari. Tu verò eo pacto tuum illud nullâ imbutum honestate, nullo bono

830.
Opus sit
bonum.

fine

fine ornatum iis transcribis. Ex quo deprehenditur eorum error, qui se omnia validè salubriterque piis manibus donasse autumant, si dum primùm experfecti sunt, omnia dei fluentis opera iis devoverint; cùm tamen interea non pauca sint intra naturam sita, ac neutra, nec ullo sine bono cohonestata. Quamquam, si usum spectes, non negaverim ejusmodi intentione alium bonum finem solitum includi.

831.
Quo melius
est magis
satisfacit.

Cæterùm, ut honestas operi satisfactorio necessaria est, ita major honestas, ac bonitas auget illius vim satisfaciendi. Nec enim ambiguum, quin opus ex germana in Deum charitate profectum, inter cætera longè præstet satisfaciendi virtute; pariterque necesse est, ut opus ex religione patratum, reliquis paribus, excellat inter opera temperantiæ. Et ratio est, quia fons satisfactionis est honestas operis, uti & fons meriti: Quamobrem ubi honestas uberior, satisfactio uberior sit, oportet. Ac propterea Doctor Angelicus 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3. post SS. Patres Hieronymum, Bernardum, Anselmum, asserit per professionem religiosam omni vinculo poenæ peccatis debitæ exsolvi religiosum, nempe si eorum affectum exuerit. Causa est, quia plene Deo quis satisfacit, si quæ potest, omnia ob ejus gloriam præstet; sive, si tantum præstet ejus causâ, ut amplius præstare non possit: quod facit, dum professione religiosâ se, suaque omnia, etiam libertatem, qua nihil antiquius, Numini tradit. Quam vim satisfaciendi Layman etiam ad iterationem professionis trahit, cui libenter assentiar, si pari animi inductione, ac propensione perficiatur. Porro si major operis bonitas vim cumulat satisfaciendi, manifestò conficitur, quod antehac insinuat, eò defunctis juvandis opus esse accommodatius, quò nobilium, ac perfectius. Ut vel hinc discere possint viri verè pii, ac religiosi, castè Deum amare, si defunctos velint multum juvare.

832.
Sic voluntarium.

Cæterùm ex illa operis conditione hæc sponte sequitur, ut opus sit voluntarium ac liberum, nec aliter enim honestum ac pius esse potest, cùm de honestatis ac bonitatis moralis essentiâ sit voluntarium, ac liberum. Deinde satisfactio rationem quamdam habet meriti: nam poenæ remissionem meretur; meritum autem sine libertate ne intelligi quidem potest. Atque hoc pacto ac lege temporalia Numini flagella nobis inflicta, ut morbi, paupertas, fames, & huiusmodi, vim satisfaciendi nanciscuntur; si patienter admittantur, & piis manibus possint opulari. Prius sancit Tridentina Synodus Sess. 14. c. 9. hisce

verbis: *Docet præterea tantam esse divinam munificentiam largitatem, ut non solum poenæ sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per JESUM CHRISTUM satisfacere valeamus.* Ita Sancta Synodus.

833.
Admissio
flagelli, non
per se
confert ad
satisfactionem.

Ex cujus posterioribus verbis non modica lis inter Theologos exurgit. Nam post Richardum, Gabriel, Vasquez, Dicastillo, ita volunt per ea flagella patienter tolerata satisfieri, ut soli interno patientiæ actui, non autem externæ eorum perpeffioni, vim satisfaciendi tribuant: quippe quòd ea perpeffio, non sit perpetuè voluntaria, cùm à voluntate non manet, habeatque dumtaxat se in modum objecti voluntati propositi. Contra, Suarius, Coninck, de Lugo, hanc etiam perpeffionem eadem virtutè satisfaciendi ornandam esse volunt, quòd sic explicat Lugo, *Quia qui patienter acceptat Dei flagella, eo ipso consentit Deo in illa punitione, & quantum est de se, vult Deo cooperari ad illa, quare licet re ipsa non sit causa flagelli, est tamen æquivalenter in conspectu Dei.* Verùm, salvo meliore iudicio, non videtur ex eo consensu, & admissione flagelli deduci posse ejus perpeffionem à voluntate pendere, cùm hæc per eum consensum nihil ad perpeffionem mali conferat, neque per illam stet illud non perpeti, sed solum admittere, aut non admittere patienter.

834.
Discrimen
inter
voluntarium
& necessarium.

Est ergo illud discrimen inter satisfactionem suscipientis liberè molestum aliquid, & illud dumtaxat patienter tolerantis: quòd suscipientis duplex sit satisfactio, altera nimirum quatenus eam suscipit, altera quatenus patitur, cùm simplex sit patienter inflictam tolerantis, licet ob patientiæ præstantiam duplicem illam possit superare. Utraque verò tam diu durat, quamdiu voluntas patienter tolerandi, quippe quæ nititur tota vis satisfaciendi.

835.
Hinc materia
solatii defunctorum.

Ex quo conficitur uberrimam hinc emergere legetem solatii piorum manium, si patientiam illam, seu illius satisfactionem iis destines. Cùm enim alia in eos collata subsidia non longi sint temporis, sed ferè cùm fiunt, desinant (ut largitio stipis, preces, communio) tolerantia certè diuturnitate suâ, vel anni unius, vel plurium, nova semper accessione satisfactionis hominem locupletat, & pios manes levare potest. Quæ res vel sola Amatorem defunctorum, aut ægrum, aut aliter afflictatum, soletur, necesse est: cùm suum reputet illorù solatium.

M m

Quod

836.
Opus præ-
ceptum po-
tèst satisf-
facere.

Quod si verò constanti flagellorum à Deo inflictorum, quæ vitari nequeunt, tolerantia responderet satisfactio, satis exploratum est contra Paludanum, Majorem, Sylvestrum, Antonium, etiam respondere operibus, quomodocumque præceptis, id quod communis sententia proficitur. Et verò patere illud autumes ex sensu Ecclesiæ. Hæc enim jejunium verum, ac quadragesimale eò præcipit, ut satisfaciamus, contenditque solemnibus precationibus eum finem assequi. Deinde confessarii reis ac confitentibus quædam imponunt, ut per ea pœnæ peccatis debita fiat satis. Denique hæc etiam mens Præsidum Religiosorum, causaque pœnas delinquentibus injungendi, ut iis toleratis vinculum pœnæ in Purgatorio alioqui solvendæ dissolvatur. Unde exitit hæc aliquorum persuasio, non esse Sacerdoti ritè fatendas noxas, quæ in capitulo correctæ fuerint; si quidem è venialibus sint, quod admittâ patienterque toleratâ pœnâ; quam Prælatus iis fuerit admensus, nihil restet expiandum. Denique ratio præcepti non efficit, ut opera desinant honesta, & libera, pariterque molesta esse: cur igitur eorum satisfactioni obsit, cum necessariis ad satisfactionem conditionibus non officiat?

837.
Sic opus
molestum.

Denique id hoc loco observandum est, ut opus virtute polleat satisfaciendi, oportere cum aliqua molestia esse conjunctum. Enimvero satisfactio, sonat injuriæ Numini illatæ vindictam, hæc autem pœnam, seu molestiam: igitur satisfactio semper cum molestia conjuncta sit, necesse est. Deinde satisfactio exigitur, ut quia per peccatum homo plus sibi, quàm Deo tribuit, reponat eidem Deo, quod sibi arrogavit; ergo aliquam molestiam Dei causâ subeat, ut sic illi se subjiciat. Porro vis satisfactionis in eo consistit, quod æquum sit, ut qui ultrò Judicem supremum præveniens, seipse pro culpa laudabiliter castigavit, is vel leviùs, vel nequaquam à Judice pro ea ipsa culpa castigetur. Quare cæteris paribus illud opus præstat alteri virtute satisfaciendi, quod cum graviore molestia conjunctum est. Et propterea rectè advertit Dicastillo, quædam religiosa instituta ad satisfaciendum aliis esse aptiora, quædam ad merendum: illa, quæ dutius vivendi genus sectantur; hæc quæ leviùs quidem, sed proposito ubi fine nobiliori, ut charitatis divinæ, salutisque etiam alienæ exercitiis nobilioribus procurandæ.

838.
Omne opus

Cæterum satis inter Theologos receptum est, omne opus aptum ad merendum, esse quoque ad satisfaciendum; quippe

quia omne tale ex se molestum est. Ratio hæc à priori, ut vocant, redditur, quia nullum opus est honestum, quod non adverteretur alicui bono vel delectabili, vel utili, vel certè non advehat aliquam secum molestiam. Alioquin, ait Lugo, non esset liberum, si esset merum bonum ex parte obiecti, & in exercitio actus. Nec objicias quædam per se esse jucunda, ut esurienti comedere, sitienti bibere, & ejusdem alia modi; nam ut hæc honestè fiant, ad superiorem ac supernaturalem finem erigenda sunt; id verò eò difficilius, quò magis delectant per seipsa. Eò enim magis arduum est voluntatem ab iis velut raptam vincamque ad finem minimè sensilem abstrahere.

Neque iterum dicas in homine veterana virtutis, vel aliunde solatis divinis affluente molestiam illam aut minimè, aut minimum sentiri; Etenim nec opus propterea definit per se molestum esse, neque homo illam molestiam pati, quòd pati desideret, ac lateatur; quòd de S. Laurentio, aliisque martyribus, omnino dicendum est, ne illorum gloriæ multum detrahatur. Hæc sunt igitur operis ad satisfaciendum propriis manibus idonei conditiones; quas eorum Patroni libenter explebunt, cum intelligant, quidquid molestiæ piis operibus inesse potest, vix umbram esse cruciatuum, quos illa possunt redimere. ò si defunctis ipsis facultas data esset tam facili pretio libertatem suam emendi, quàm citò durus ille & diuturnus carcer lustralis vacuus foret.

ARTICULUS III.

De intentione ad satisfaciendum pro piis manibus necessaria.

§. 1.

Quæ, & qualis esse debeat?

Hoc imprimis pono, tamquam exploratum, non exigi ad satisfactionem; ut opus ad illam destinetur. Ut enim vim habet merendi, licet ad merendum non dirigatur, ita & satisfaciendi, præfertim cum ut semel diximus, satisfactio meritum imitetur. Quin imò addo, eò majorem inesse illi virtutem satisfaciendi, quò minus respicit satisfactionem, aut ad eam refertur. Quemadmodum enim si miles

840.
Opus perso-
est satisf-
actorium.